

Forfatter: Ewald, Johannes

Titel: Johannes Ewalds samlede skrifter

Citation: Ewald, Johannes: "Johannes Ewalds samlede skrifter", i Ewald, Johannes: *Johannes Ewalds samlede skrifter*, Gyldendal, (1969), s. 114. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-ewald03val-shoot-idm140321582146432/facsimile.pdf> (tilgået 23. april 2024)

Anvendt udgave: Johannes Ewalds samlede skrifter

DE POËSEOS NATURA ET  
INDOLE  
(1767)

§. 1.

Ut pictura poësis erit similisque poësi 5  
Sic pictura: refert par æmula quæque sororem.  
Alternantque vices & nomina: Muta poësis  
Dicitur hæc: Pictura loquens solet illa vocari.

**V**ERSUS hi, quibus Dufresnoy carmen suum de arte graphicâ speciose satis orditur, omne id continent, quo eorum, qui a Simonide ad nostra usque tempora elegantius de poësi cogitarunt, quamplurimi, artem hanc definiverunt aut definire studuerunt. Picturam animatam & loquentem, aurium picturam, nec non alia permulta hisce synonyma, quibus poësin vulgo delineare cupiunt, primo intuitu placere, inficias equidem non iverim, verum si præter ipsam rem, præstantissimum artis hujus doctorem Marmontelium consulueris, rei definiendæ haud sufficere facile invenies. Si ipsam rem consideras; istud quidem cum pictura commune habet poësis, quod res absentes ut præsentis sistat, pulchramque, vel imitatione dignam naturam imitetur: ut dotes istas ingenii atque intelligentiæ, pictoribus et poëtis æque necessarias tacito pede præteream, verum, si vel imitationis perfectionem vel rerum imitandarum copiam spectas, toto sane cœlo differunt. Quam enim certum est nos plura verba habere quam colores, remque quam libet accuratius & exactius scribi posse, quam pingi, ita certum, affectus quoslibet actionesque insignes, perfecte magis a poëta imitari, quam a pictore. Picturæ etiam optimæ interprete sæpius egent, ita vero non poësis. Poëtæ, sui ipsius interpreti, ne dicam ipsa rerum nomina, minutias dictioni addere licet, quas penicillo exprimere ipse Raphaël frustra conaretur. Picturæ

semper eadem manet facies, in rebus etiam maxime mutationi obnoxiiis. Desperantem e. g. ubi pictum videris, iratum ferocem, minisque repletum vultum invenies. Hanc desperantis imitationem  
 5 bonam quidem, nequaquam vero perfectam esse, facile concedes, si Didonem in Virgilio loquentem audiveris, vel si Junonem ejusdem iratam, vel si Fenelonis Calypsonem legeris. Hic non minus solum, verum etiam lachrymas invenies. Ita enim  
 10 se habet cum desperante, ut omnibus affectibus, ipsaque ratione turbatis modo ferox sit modo tristis, modo audax, modo timidus; numquam vero diutius eundem vultum, eundem animum retineat. Hæc vero magis ad istam, cujus antea mentionem  
 15 fecimus rerum imitandarum copiam spectare videntur: quam ut paucis attingamus, nemo me iudice, non credet, poetæ latiore admodum hac in re patere campum, ac pictori. Pictor e. g., ita Marmontel, licet rem dum movetur arripit, non  
 20 tamen aliter eam exhibet ac quietam: Poëta, ut res non minori velocitate, progredi videatur in versibus quam in naturâ ipsâ, efficit. Hic etiam res sibi succedentes unâ complectitur, ut in versu isto: Jamque rubescebat, stellis aurora fugatis,  
 25 qui & ad præteritum & ad præsens tempus pertinet. Pictor tantum, quæ oculis, non vero ita, quæ reliquis sensibus obnoxia sunt, imitatur. Virgillii istud: Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum quis quæso bene satis pingeret? Qvis  
 30 penicillo exprimet istud: Clamorque virum, stridorque rudentum? Num Apelles tonitruum fragorem, vel levia Zephyrorum murmura delineare potuerit? vel quomodo Boucherius, si Venerem pinget oculis ostendet: Ambrosias comas divinum  
 35 vertice odorem spirantes? Porro non solum imaginum colore affectuumque facunda enarratione commovet poësis, sed physica quoque sonorum elegantia aures dulcissima perfundit voluptate. Illa ars pictoris colores æquat: hæc Musices sva-

vitatem addit. Qvam Musices atqve picturæ in poësi conjunctionem, qvicumqve Græcos in primis poëtas consuluerit facile perspiciet. Horum enim lingua, omnium, ad harmoniam istam, nemine nesciente, fuit aptissima. Quid vero multa? Ex allatis patere satis puto, ut majorem imitationis perfectionem omittam, plura admodum ad poësin pertinere objecta, qvam qvæ ad picturam, ideoqve si definitionis instar, cuiqvam phrasin istam, picturam loquentem, adhibere lubuerit eam definito suo valde angustiore ideoqve falsam esse faciliè perspiciet. Si vero metaphora placet speculum tamen loquens qvam pictura loquens, accuratius foret dictum.

## §. II.

Me vero hâc in parte diutius versatum esse, nemo non mirabitur, qvicumqve hanc phrasin, metaphoræ tantum nec definitionis instar, ab artis magistris, ut credere est in medium prolatam crediderit, in primis, qvum de naturâ atqve indole, non vero de synonymis poëseos dicere statuerim. Definitionum vero potius qvarumcumqve optimarum recensionem optabit pariter atqve sperabit. Hic vero non fateri non possum, qvod si, ut Histriones Apollinis jactitare solent, poësis est ars divina, duo istud in eo, me iudice, consistat necesse est, qvod definitione aut careat, aut carere videatur.

## §. III.

Optimi certe, qvicumqve hac in re fuerunt ut poësin definirent, vel metaphoras ut supra, vel circumscriptiones nobis dederunt, etiam has interdum nimis angustas, iusto interdum effusiores. Ita acutissimus ipse Marmontel, eum in modum, poësin circumscribere potius qvam definire mihi videtur, ut sit: Imitatio stilo harmonico facta, modo fidelis, modo ornatior, rerum, qvas natura, cum in physicis tum in moribus, habet maxime idoneas ad afficiendas ex poetæ arbitrio phanta-

siæ & sensuum vires ut videre est ex ejusd. Poëtiqve Francoise T. I. p. 58. Ut alla, qvæ hac in descriptione minus accurata, mihi videntur, tacito pede præteream; stylus inprimis harmonicus ibi  
 5 superfluum quid puto; qvippe qui poësin in magnas nimis angustias redigit. Licet enim eximium hæc harmonia poësi addat decus tamen si rem ipsam spectes, ad essentiam ejus nullo jure refertur. Neqve enim Telemach. Feneionis neqve Idyll.  
 10 Gesneri neqve Youngii meditationes nocturnas, neqve demum tot, quot exstant, comædias, ob rhythmî defectum, poëseos nomine privaturum esse, ingenue fateor. Si porro, ut vult, per naturam intelligimus complexum universum rerum  
 15 voluntati supremæ subjectarum; poësin se ultra naturam extendere facile me iudice, patet; qvum Deum loqvntem toties imitati sint sacri vates, ut nihil dicam de idollis paganorum, qvæ licet numquam exstiterint, tamen naturæ autores ideoqve  
 20 extra naturam fuisse crediderunt, qvi illos imitati sunt, poëtæ. Ita qvomodo, si stricte loqvendum, spiritus Miltonis, vel ad physica, vel ad moralia referes entia? Accuratissimus Batteux, qvod bene factis vidit poësin ad nullum planè principium  
 25 univrsale reduci posse, si non ad principium imitationis totius, hac in re demonstrandâ carmina dogmatica qvæcunqve, si non etiam odas, in quibus scilicet ipsi sentimus neqve alienorum affectuum imitatione indigemus, vel ante ocula plane  
 30 non habuit, vel poëticorum numero extrudit. Filium Ariadneum sane, qvo hoc ex labyrintho evadat anxie satis, sed frustra qværit, & acute magis, quam solide hæc de re disserit. Qvi hoc recte perspexit celeberrimus Schlegel, allam eamqve adæqvatiorem Poëseos definitionem nobis daturus,  
 35 dum Scyllam vult evitare, in Charybdim me iudice incidit. Si enim angusta nimis foret hæc poëseos definitio: Est imitatus pulchræ naturæ stilo harmonico expressa, lata nimis videtur ista Schlegeli,

quod sit: Maxime sensualis vel sensus afficiens & jucundissima pulchri vel boni, vel etiam & pulchri et boni per literas expressio. Quum enim primo an veri vel ficti boni sit nullo apice asserat, quomodo ab eloquentia poësin discernat hæc definitio plane nescio. Ipse enim eloquentiam totidem verbis boni & pulchri per literas expressionem, deinde nominat. Veri ideam hic quidem addit; si vero secundo, ut in eloquentia definiendâ veri, ita in poësi ficti ideam differentię specificę loco adhibuisset; ipse, ut bene vidit, id, quod alii obtrudit, carmina dogmatica poëseos honore privasset; ut & omnes tropos & figuras ad eloquentiam pertinere, tacite negare videtur veri notio.

## §. IV.

Ut de iis, qui vel in fictione vel in versificatione, vel demum in enthusiasmo essentiam poëseos quæsiverunt, haud multa faciam verba; istud tantum monebo, partes loco totius amplexos fuisse; quod Batteux solide satis demonstravit, quem conferant, quicumque hæc de re voluerint esse certiores. His quoque missis, qui, jam allatis longe inferiores, loco definitionum elogia poëseos plane sesquipedalia in medium proferunt, eamque modo artem plane divinam, modo omnium artium complexum modo præstigiaticem, modo creatricem vocant; unum tantum asseram: ab Aristotele, usque ad Boilavium & Marmontelium neminem adhuc accuratam omnique numero absolutam, poëseos definitionem in medium protulisse. Quidam ex parte tantum de poësi egerunt, ut Aristoteles: de Tragœdiâ scilicet & carmine epico. Alios, ut Horatium, ipsa poëseos ratio poësin recte definire non sivit. Quilibet facile videt, poëtam potius pingere, quam definire versus hosce:

Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os,  
Magna sonatorum, des nominis hujus honorem.  
Hor. Ljb. 1. Serm. IV. v. 43. Alios sine dubio ipsa

artis amplitudo inter arctos definitionis limites  
eam redigere vetuit. Sunt enim, ut supra, poëseos  
partes, quæ ad principium imitationis referri, &  
sunt, quæ non referri possunt. Dantur carmina,  
5 quorum objectum est naturæ imitatio, sunt quo-  
que quæ ipsam naturam scopi instar habent. Sunt  
denique mixta, ubi utræque suis funguntur parti-  
bus. Si vero imitatio certum principium non est,  
ex quo essentia poëseos deduci, & ad quod omnes  
10 artis hujus species referri possunt; plurimis con-  
sentientibus tale principium habemus plane nul-  
lum. De principio fictionis, versificationis & en-  
thusiasmi antea diximus. His addi potest istud,  
quod Racine senior affectuum vel perceptionis  
15 loquelam appellat; quod vero epicum carmen,  
nec non quamplurimum, quod cum poësi com-  
mune habet pictura, excludere videtur. Summe  
venerabilis Dr. Cramer, optime huic defectui ob-  
viam iri credidit, si & verarum & fictarum per-  
20 ceptionum mentio fieret.

## §. V.

Quod vero omnium maxime poësi definiendæ  
obest, sunt limites, qui poësin a prosa discernere-  
rent, ita confines, ut prorsus confusi nunquam  
25 fere appareant. Ut supra monui sub forma prosæ  
poësin sæpius invenies: immo & prosam sub poë-  
seos habitu sæpissime inveniri, nemo erit, versifi-  
cium nostrorum haud prorsus ignarus, qui inficias  
iverit. Istud efficit ut duæ hæ artes eloquentia  
30 nempe & poesis pari passu sæpius ambulent &  
recte satis distingvi nequeant. Hi vero qui ex ar-  
bitraria elegantia rhythmico sc. & stilo harmonico  
essentiale poëseos formant; si Poëtarum nomina  
iis derogare dubitamus ejusmodi artis definitio-  
nem stabiliunt, quod sit Sermo, qui habet pedes  
35 vel rhythmos.

## §. VI.

Ne vero me multum de nihilo dixisse mihi quis-  
quam obiiciat, utpote qui naturam atque indolem

poëseos traditurus, non quid sit, verum tantum quid non sit, dixerim, totusque in eo fuerim, ut demonstrarem, eam ad unum principium universale referri plane non posse ideoque nec definiri: paucis quaecumque meum hanc de re sit iudicium in medium proferam idque non, quod me excellentius quid tot tantisque viris dicere vel rem ac melius tangere posse, mihi habeam persuasum, verum, ut promissi memor partibus meis quodammodo fungar. Poësin igitur ita circumscribere lubet, ut sit: Ars rebus eximiis, vel fictis, vel per se ita pulchris ut nulla fictione egeant; sermone vel physicâ quadam sonorum elegantia vel styli saltem sublimitate insigni, prolatis, animum lectorum vel auditorum ita commovendi, ut in quocumque lubuerit affectum, quaecumque sententiam transeant. Ita, quantum ad particulam propositionis hujus primam, omnes Poëseos species sive Epica sint carmina sive dogmatica sive denique alla, ad generalem ejus notionem melius puto referri, quam si cum Batteux ad imitationis principium omnia redigere conarer. Sæpius monui non pulchræ solum naturæ imitationem, verum etiam ipsam pulchram naturam poëseos objectam esse. Ita perceptiones, quas ipsi sentimus, ita dogmata, quæ licet nullam fictionem patiantur, tamen vel stilo tantum harmonico, vel iucundiore tradendi ordine vel denique aliis ornamentis ad poëseos dignitatem evehi possunt; ita quoque res sæpius per se pulcherrimæ, quibus colores etiam optimi nihil decoris addere possent. Secundo, isto: *vel physicâ quadam sonorum elegantia vel styli sublimitate* cet. differentiam quamdam specificam poëseos ab eloquentia, indicare volui, ut ipse credo, exiguo satis successu. Limites quippe utriusque artis nimis latent, quominus exacte satis unquam determinari possint. vid. supra: Hoc nihilominus certum est; poëtas semper utrisque & harmonico & soluto stilo usos fuisse &



uti posse, ita vero non oratores. Istum sibi semper vindicarunt vates, hunc cum disertis communem habuerunt. Et hæc me iudice est unica semper stabilita inter utrosque differentia. Alias easque permultas esse notas characteristicas equidem non negaverim. Harum vero nullæ omni tempore omnibus sui generis speciebus competunt. Ita veritatem oratori, fictionem poetæ vulgo tribuunt: sed Poëtam in dogmaticis vera, Oratorem in Panegyricis ficta sæpius proferre quis nescit? Metaphoræ, Allegoriæ & Ironiæ utrisque sunt communes. Scopum porro poëseos voluptatem tantum, eloquentiæ vero & voluptatem & emolumentum esse asserunt. Qvicumque vero & hanc poëseos scopum sæpius fuisse negant, in historiis male versati sint, necesse est. Ut innumera alia omittam; ad Æsopicum dogmata tradendi, hominibusque virtutes inculcandi modum tantummodo provocabo. Quid de usu Poëseos historico? Omnia fere quæ de Theogonia, Mythologia & statutis veterum ad nostra usque pervenerunt tempora, poetis debentur. Ut nihil dicam de divinâ istâ vi citharæ Davidicæ. Verum etiam, ne voluptatem quidem semper poëseos scopum esse mihi habeo persvasum. Certe cum in omnes affectus dominium suum exercet, tristitiam & mœrorem æque ac lætitiâ interdum producit, fovet interdum. Ex optimarum quarumcumque Tragœdiarum enodatione, nullam sane aliam percipio voluptatem, quam relativam istam quæ ex autoris perfectione oritur. Et si perciperem, scopum suum sane autor non obtinisset. Hac de causa quoque potius poëseos scopum in productione affectuum quoad Epica cet. & sententiarum quoad dogmatica quærere volui; quam in communem istam de voluptate, unico hujus artis fine, opinionem pedibus ire. Tantum de generali Poëseos notione. In singulas partes ejus inquirere, quum sint fere innumeræ, opus foret cui haud annus sufficeret, eoque magis

superfluum, quum tot tantique viri ante me, quæcumque de iis dici possunt omni numero absolverint.

## §. VII.

Ut vero in notione artis hujus evolvendâ ipsius 5  
artis magistri; ita quoque in laudibus illi tribuen-  
dis vel detrahendis toto cœlo discrepant reliqui.  
Sunt, qui plane contemnunt. Horum plerique vel  
sunt Mæcenates, docti quidem interdum, sed om-  
nia, quæ ad poësin spectant, fastidientes, dum sci- 10  
licet ab istis quibus quotidiè obruuntur nœniis ad  
reliqua artis concludunt: vel etiam divites morio-  
nes, qui dum ex paupertate complurium Poëta-  
rum de artis utilitate judicent, eam flocci putant:  
vel denique docti quidam superbiores, qui, si la- 15  
bores suos Herculeos, cum leviusculis Poëtarum  
jocis, ut loqui solent, forte comparare instituunt;  
nihil plane utile, nihil erudito homine dignum in  
poësi inveniunt. Horum, cum invidiâ ducantur,  
omnium sine dubio acerrimum est odium. Missos 20  
vero hosce facimus, quum & supra poëseos usum  
ipsi evicerimus, & sapientioribus quibuscumque  
constet, falli qui ultimum eruditionis gradum Poë-  
si debere asserunt. Falluntur vero etiam alii, qui  
nimis laudibus artem hanc ad cœlum usque tol- 25  
lunt. Ut vero abunde pateat, quæ quantæque lau-  
des bono partibusque suis rite fungenti poëtæ debe-  
antur, attributa ejus necessaria pariter ac officia,  
exponam ut potero brevissime, totus hæc in re  
Marmontelium secuturus. 30

## §. VIII.

Dotes igitur poëtæ necessariæ sunt intelligentia,  
phantasia & vires animi sentientes. Hæ quidem in  
poëta ita nato præminent & dominantur, sed nisi 35  
lumine illius iuventur, sæpissime errant. Intelli-  
gentiæ vires pro variis poëseos generibus varie  
sese exserunt; quæque facultatum animi habet,  
ubi regnet carminum genus. Altitudo animi cerni-

tur in Odâ carmine Epico & Tragœdia: facilitas in Epistolis familiaribus: acumen in Epigrammate: in Comœdia omnes fere sese exserunt vires. Facultatem præterea habere debet sui ipsius obliuiscendi, induendi personam illius, quam pingere vult, illius mores cupiditatesque adsumendi, eosque sermones usurpandi, eaque agendi, quæ si ille ipse adesset ageret & usurparet. Hæc facultas, consuetudine hominum, naturæ consideratione & exemplorum cujusvis generis imitatione formatur: ab ipsa natura vero acceperit necesse est poeta animum tenerum, cereum flecti & efficacem. Sensu seu gustu veri & pulchri gaudeat. Hic suâ naturâ non differt a sagacitate ingenii animique facultate sentiente connatâ, quod vero ab arte accedit, studio & usu sibi acquirat poeta. Judicium aurium imprimis ad eum pertinet. Præter cognitionem artis ipsius tam quod ad regulas, quam quod ad exempla, Poeta se ipsum nosse debet ingeniique vires habere exploratas, atque ita, an sibi Musæ faveant necne, intelligere. Lingvæ cognitionem habeat perfectissimam. Hominem in primis cognoscat, neque nudum tantum, sed quam consuetudo, pro loci & temporis differentiâ, naturæ simplicitati mutationem & faciem attulerit. Huc pertinent religio, leges, disciplina, mores, diversæ imperiorum formæ cct. Mores imprimis hominum respiciat. Naturam & simplicem & arte, ut ita loquar, emendatam habeat cognitam. Mythologiæ nequaquam debet esse ignarus. Veteres pariter ac recentiores poetas sibi familiares reddere, omniumque artium cognitionem sibi utilem credere debet. Ex hisce quæ pluribus in sæpe nominato Marm. exponuntur, satis patere credo, poetæ, qui & dotibus arti suæ necessariis præditus est, & dotes hasce justo more excoluit, haud ultimas laudes deberi; immo poesin haud immerito, si non ad utilissimas tamen ad difficillimas artes referri.

§. IX.

Ante vero quam hæc qvælibet fuerint de  
poësi Meletemata finivero, ex nuper allatis boni  
Poëtæ requisitis duo monita non possum non eli-  
cere. Sunt scilicet, qui invito etiam Apolline Par-  
nassum scandere volunt. Hi licet omnibus naturæ  
dotibus carcant; hunc defectum lectione sedulâ  
assiduis meditationibus immo anxio sudore emen-  
dare student. His dictum volo: Poëtam nasci; non  
feri. Sunt alii, excellenti ingenio, omnibusque,<sup>5</sup>  
quæ natura ad Poëtam procreandum suppeditare  
potest, præditi; qui vero connatis dotibus freti,  
omnia ad illas excolendas necessaria prorsus  
omittunt. Hi persuasum sibi habeant:  
*Bonum Poëtam fieri non nasci.*<sup>15</sup>

TANKER I ANLEDNING AF FRØ-  
KEN SOPHIA DORTHEA V.  
HOLSTEIN'S DØDSFALD

(1768)

- <sup>5</sup> DEN Aand, for hvilken Dødelige blegne,  
Mord-Engelen stoed over Cimbrers Egne —  
Teutonen skialv — og Odins stolte Sønner,  
Fornedrede der Helte-Sprog til Bønner —  
Tie tusinde laae ved Machaons Fod —
- <sup>10</sup> Faae vilde viise — ingen havde Mod. —  
Skioldungen selv fandt ingen Smag i Ære,  
Hvortil han intet Vidne kunde være, —  
I gyldne Kiæder hang den Riges Hierte  
Og Slaverie var alt hvad han begierte —
- <sup>15</sup> Den Kiælne frygtede den kolde Jord. —  
Og Frækhed skialv, thi Gud kan holde Ord. —  
Det andet Tross, een Sværm af halve Slæle,  
Som skilles kuns fra Fæe ved Gang og Mæle,  
Krøb sagte bort, — i Haab at Kiæmpens Øye,
- <sup>20</sup> Saa skarpt det var, ey mærkte dem saa nøye —  
Han saae dem, men udstrakte ey sit Sværd  
Af alle dem var ingen Døden værd. —  
Da saae jeg Dydens Billede fremtræde —  
I Øyet spilled Majestætisk Glæde —
- <sup>25</sup> Ey kied af Livet, men til Døden færdig. —  
Til Throner og til Herrens Alter værdig  
Usminket yndig og usminket from,  
Var den Heltinde, som jeg synger om. —  
Men ach! — min Sang! — det matte Hierte stræber,
- <sup>30</sup> At trænge sig til uopladte Læber —  
Lad Taarer skildre! — dybe Suk skal sige,  
At knap Naturen kiendte Hendes Liige —  
Men Øye taet, hvad Sorg min Pen forbød, —  
Siig Himmelen! — Siig! — ach! at Hun er død.
- <sup>35</sup> Men du Tyran, ubøvelig ved Taarer,  
Som slaaer kuns hvor du mange Hierter saarer,  
Og du Barbar, som graadig til dig river